

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Elisaeus Girbert

**Brevissima Enarratio Historica, De Origine & Propagatione Papismi, Calvinismi  
Et Arminianismi : Castigationibus Nonneminis aliqua ex parte opposita ; Nunc  
vero ex Germanica in Linguam Latinam translata**

Iena: Erlangae: Bielckius: Regelius, 1700

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn79137856X>

Druck Freier  Zugang





Ff-3642





*78p* *2. firs*  
BREVISSIMA  
ENARRATIO HISTORICA.

DE  
Origine & Propagatione  
**PAPISMI,**  
**CALVINISMI**  
*ET*  
**ARMINIANISMI,**

Castigationibus Nonne-  
minis aliqua ex parte  
opposita;

*Nunc verò*

ex Germanicâ in Linguam Latinam  
translata.



*Sumtibus JOHANNIS BIELCKII,*  
*Bibliopolæ Jenensis,*

&

Literis JOH. FRIDERICI REGELII,  
Typographi Erlangenfis.

Anno M. DCC.

*78-3642.*



# EPIGRAMMA.

Est, qui Calvini, qui Papæ:  
Neutrubi fautor,  
Arminius: Plus tu, ne-  
minis esse, cupis.

Ita laudabiles conatus, dum  
à Sectariorum nullo statur.  
rite adprobat ,

JOH. FRIDERICUS  
ARTZBERGER, Su-  
perint.Beyersdorff.

V I R O  
Plurimūm Reverendo  
atq; Præclarissimo  
D O M I N O  
**M. ELISÆO**  
**GIRBERTO,**  
PASTORI APUD ER-  
LANGENSES EVANGELICO-  
LUTHERANOS VIGILAN-  
TISSIMO,  
Parenti suo ætatèm  
venerando,  
**CHRISTOPHORUS**  
**WILHELMUS GIRBERTUS**  
Salutem ac Prosperitatem!

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

## HONORATISSIME DOMINE PARENTS!

**T**ripartitam hanc Historiam, impri-  
mis Calvino-Reformatam, Ludovi-  
co Liebhardo, Ecclesiae Culmbacen-  
sis vicinarumque Superintendenti olim gra-  
vissimo, Praeceptoris Tuo, inque ILLUSTRE  
COLLEGIO CHRISTIAN-ERNESTINO,  
quod Baruthi Francorum floret, Historia-  
rum Professori fidelissimo, debes, sic ta-  
men, ut multa à Te sint addita, nonnulla  
omissa, alia planè aliter proposita; Casti-  
gabatur Ille tūm temporis, quoad Historiam  
Calvinismi, à Nonnemine ferulâ satis in-  
justâ. Alius quispiam, Castigationem  
hanc non modò adprobavit, sed & Labo-  
rem Liebhardianum omni fundamento de-  
stitutum, inque maximum Reformato-  
rum præjudicium suscepimus proclamavit,  
ore admodūm latrante; Pietas postulabat,  
famam Praeceptoris contra veritatis ho-  
stes in tantum vindicare, simulque juven-

A 3              tute

tuti studiosæ, & ortum mali, & quid di-  
starent æralipinis, in brevi quasi tabella  
ostendere. Nemo itaque Opusculum hoc ad-  
umbratum temerè vituperabit, vel indu-  
striam tuam in malam partem interpreta-  
bitur; quin potius eandem à necessitate,  
hoc cum primis tempore, Tibi fuisse impo-  
sitam, nullō negotiō animadvertis; oportet  
enim hæreses inter nos esse, ut, qui pro-  
bati sunt, manifesti fiant ex nobis, (1. Cor.  
11. v. 19.) Evidenter optandus esset dissi-  
diorum ejusmodi finis, optanda pax &  
fraternitas, nec dubito, quin & Tu, qui  
medios inter degis Reformatos, & Papi-  
stas quoque in Officiō hactenus tuō lupos  
rapaces es expertus, eadem sepius optata  
pro salute Ovium Tuarum ingemines; At  
verò, cùm non tantū verborum, sed &  
intellectus præcipue ac voluntatis concor-  
dia juxta Apostolum (1. Cor. 1. v. 10.)  
sit ineunda; cùm perpetua Ecclesiæ mili-  
tanti pugnanda sit pugna, nec victoria ipsi  
prius speranda, quam in vita tandem æter-  
nā triumphum canere possit, non est certe,  
cur omnimodum in Ecclesia consensum hic  
expectemus: Et hoc ipsum est, quod Cala-  
mus

mus Tuus, CUMPRIMIS IN HISTORIA  
CALVINISMI, dilucidius expressit, ac  
omnibus veritatis & concordiae cupidissi-  
mis pluribus representavit; Quod igitur  
Lipsius de Politicis suis seu Doctrinâ civili  
quondam scripsit, id de Tuâ hâc Historiâ  
(si magnis componere parva fas est) meri-  
tò nunc mihi dicendum: OMNIA TUA  
ESSE ET NIHIL. Ita fecisti. Lapidès &  
ligna ab aliis accepisti: ædificii tamen ex-  
strudio tota tua. Architectus Tu es,  
sed materiam varie undique condu-  
xisti. Nec aranearum textus ideo melior,  
quia ex se fila gignunt: nec tuus vilior,  
quia ex alienis libasti, ut apes. Accipe  
jam Illam in Lingnam Latinam ex Ger-  
manica translatam, in redhostimen-  
tum paternæ illius operæ, quam in ani-  
mō ad bonitatem, in ingenio ad do-  
ctrinam formandō adhibuisti, Tibi quippe  
non tantum vivere sed & bene vivere de-  
beo. Vale interim longè felicissimè, & in  
Ecclesiæ, Erlangæ Deo colligendæ, totiusq;  
prolis emolumentum quam duntissimè  
supera, cumque novô anno novam simul  
felicitatem expecta. Dabam Erlangæ  
d. III. Januar. M. DCC.

*Job. XIV. 6.*

Ego sum Via, Veritas &  
Vita.

Si verè est Christus verax & fallere  
nescit,

Ergò nec in Cœna fallere quemque  
volet.

Hinc panis quoties & vinum rite sa-  
crantur,

Ipsius est præsens corpus adestque  
cruor,


Sumentique datur verè atque realiter;  
haud est

Cur dubitem: nam quod dicit,  
idemque potest.

Hæc ad Historiam Calvino-Reformatam  
haud inconvenienter accomoda-  
re, Autori æquè ac Translatori,  
Socero illi, huic Affini, Dominis  
per honorandis ac dilectissimis,  
gratulari, & sub novi anni auspi-  
cium fausta quæque simul appre-  
cari voluit, debuit.

JO. CHRISTOPH. FISCHER,  
p.t. Ecclesiæ Mehrndorffensis Pa-  
stor Brandenburgico-Baruthinus.

IN-



# INDEX CAPITUM

*Quæ*

In primâ hâc Historiâ de  
Papismô continentur.

*CAP. I.*


Quomodo Papismus sub  
Pontificibus Optimis  
Infantilem Ætatem na-  
tus sit.

*CAP. II.*

Quâ ratione Papismus sub  
Pontificibus Bonis ad  
Ætatem Juvenilem  
properârit, & cujus tem-  
pore ex ephebis sit e-  
gressus.

A 5

*CAP.*



## CAP. III.

Quô modô Papismus sub  
Pontificibus terrena sa-  
pientibus Virilem Æta-  
tem vixerit.

## CAP. IV.

Quod Ætas Papismi Viri-  
lis sub his Pontificibus  
perdurârit.

## CAP. V.

Quô tempore Ætas Pa-  
pismi Senilis sub Anti-  
Christis inceperit.

NAR-



NARRATIO HISTORICA  
DE  
PAPISMO.

CAP. I.

Quomodo Papismus sub  
*Pontificibus Optimis* Infantilem Æta-  
tem natus fit.

**U**T omnium rerum, hominum  
cum primis & imperiorum, sic  
& Papismi tenebris involuti infantia  
quædam est & senectus; habuit ille  
II. & III. Seculô velut pueritiam. Ado-  
levit in IV. Virile robur accepit in  
VII. & sic porro duravit, usq; dum  
Seculô XVI. cum Senectu: illud  
commutaverat; primum itaq; hoc  
Caput est Pontificum Optimorum;  
sub Imperatoribus enim Ethnicismo.

A 6 addi-

addictis, ad Constantiū M. usq;,  
qui primus ex Imperatoribus Chri-  
stianis fuit, plerique Pontifices Ro-  
mani Martyres Christi sunt facti;  
nullus illis temporibus fastus erat,  
nulla dominatio.

## §. 2.

Excipi tamen nonnulli possunt,  
ut pote Victor, qui ab Ecclesiā Orien-  
tali ejusdemq; charitate & commu-  
nione propter diversum Paschatos  
celebrandi modum, defectionem  
meditabatur; & Stephanus, ob ba-  
ptismum Hæreticorum adversus Cy-  
prianum aliosq; Africanos Episco-  
pos acriter insurgens.

## §. 3.

Hoc accidit II. & III. Seculō, cum  
Papismus Infantilem quasi Ætatem  
ageret. Primum verò ab Eusebiō,  
integra & incorrupta Virgo, &  
exinde aureum Ecclesiæ Seculum est  
nominatum. Hoc ipsum enim pro-  
videntia divina scriptis tantum Apo-  
stolicis voluit nobilitatum, ne obvi-  
cini-

cinitatem temporum alia cum illis confunderentur. Et quamvis aliqua, speciatim Ignatii Epistolæ, & imprimis ab Isaaco Vossio in Italiâ Annô Christi 1646. repertum Exemplar, supersint, nihil tamen vel integrè, vel sine suspicione falsi à Doctribus, qui eō tempore Ecclesiæ præfuerunt, ad nos pervenit.

## CAP. II.

Quâ ratione Papismus sub  
Pontificib⁹ Bonis ad Ætatem Juveni-  
lem, properārit, & cujus tempore  
ex ephebis sit egressus.

## §. I.

Secundum Caput est Pontificum  
Bonorum, quod incipit cum Secu-  
lo IV. (quō Papismus ad juveni-  
lem ætatem properabat) & Con-  
stantino M. Christianorū Imperatore,  
desinitq; unā cum remotis  
ex Italiâ Imperatoribus. Cessanti-  
bus enim Christianorū persecutio-  
nibus, Episcopis Romanis majores  
semper

semper divitiæ accrescebant. Crescentibus autem opibus, dicit Casander, decrevit pietas, & in ejus locum Larvæ Ceremoniarum successe-runt; Papa siquidem Zepherinus constituebat, ut, sublatis vasis lignis, adhicerentur aurea, quia ligneos habebant calices & aureos ministros.

## §. 2.

Insuper Constantinus M. Imperator non modò templa magnificè exstruxit, sed & fundos ac prædia illis donavit, ita quidem, ut ejusmodi rebus secundis & latetis Episcopatus Romanus superbiæ, quam sub Imperatoribus Ethnicis non admodum curabat, se dare cœperit, quamquam non sine magnô tumultu, cœde crudeli, atq; horrendo animæ periculô. Hinc est, quod Liberius hæresi Arianæ subscripsit. Post ejus obitum Damasus & Ursicinus ad mortis vulnerumq; discrimen usq; de Episcopali dignitate concertârunt

runt, quos & Symmachus atq; Laurentius imitabantur.

## §. 3.

Imperante Phocâ, Tyrannô crudeli & Parricidâ impiô, mortuus est Gregorius M. Episcopus Romanus, inter eos, qui probi fuerunt & reverâ Episcopi, ferè ultimus; cui Sabinianus, & huic Bonifacius III. successit, quorum alter ab Imperatore Phocâ obtainuit, ut Sedes Divi Petri Apostoli Caput esset omnium Ecclesiarum; ex eô igitur tempore, quô Sedes Romana Caput Ecclesiarum constituebatur, Papismus ex ephesis est egressus.

## CAP. III.

Quô modô Papismus sub  
Pontificibus terrena sapientibus Viri-  
lem Ætatem vixerit.

## §. 1.

Post Gregorium cognomento Ma-  
gnum (cujus temporibus vitam  
Viri-

Virilem vixit Papismus) & initium Seculi VII. ordine venit caput tertium, Episcopos Romanos indies magis magisque terrena sapientes comprehendens. Hi, ipsòmet factente Baroniō, licet hospites essent in re literariā, adeò, ut ne nomen quidem scribere scirent, indies tamen avidius Dominio Politico inhibabant; quandoquidem omnibus modis sunt conati, ut in Ecclesiā præ omnibus eminerent, absolutā quādam potestate Ecclesiaſticā uterentur, cœterosc̄b Christiani Orbis Episcopos subjugarent, potestatē etiam civilem in Urbes & Provincias sibi arrogantes. Quò enim magis in Italia Imperatorum Constantiopolis regnantium potentia debilitabatur, eò opportunior Episcopis Romanis patebat via, sibi in rebus politicis auctoritatē conciliandi. Roma quidem Imperatores adhuc agnoscebat Dominos, quibus tamen obsequium, non quod illi exigerent, sed quale

quale Iuberet, exhibebat, cumpri-  
mis ex quo urbs Ravenna, ubi Im-  
peratorum Vicarii sedem figebant,  
à Longobardis fuit occupata. Equi-  
dem non absolutè Papa imperabat  
Romæ, populum tamen, quo vellet  
& visum esset, flectebat. Ut itaque  
tùm Imperatores ipsi, tùm eorum  
Exarchi, tùm Longobardi vel obse-  
quentem vel locum haberent atque  
amicum Pontificem, comiter eum  
venerari cogebantur, cui adaucta  
postmodùm non tantùm dignitas &  
auctoritas, sed & majora adipiscendi  
cupiditas est accensa.

## CAP. IV.

# Quod Ætas Papismi Virilis sub his Pontificibus perdurârit.

## §. I.

SEculo IX. atque ita post Impe-  
rium Caroli M. cœpit quartum  
Pontificum Romanorum Caput, eo-  
rum

rum niempè, qui in acquirenda tūm Ecclesiasticā tūm civili auctoritate toti fuerunt, quō tempore robur Papismi Virile magis magisq; augebatur. Hi enim Papæ, teste ipso Cardinale Bellarmino, à pietate veterum planè degenerârunt, sedemq; Romanam alii pecunia mercati fuerunt, alii vi rapuerunt, alii fraude invaserunt, alii alias dejecerunt, in carceres detruserunt, exoculârunt, strangulârunt, fame necârunt. Thomas Stapletonus de his Pontificibus refert; vix ullum peccatum cogitari posse, quō Sedes Romana turpiter maculata non fuerit, maximè ab anno octingentesimo.

## §. 2.

Cui multis annis ante adstipulati sunt duo Galliæ Episcopi, Girbertus, Archi-Episcopus Rhemensis, & Genibrardus Episcopus Aquensis, quorum ille in Oratione Synodali Anno Christi 992. ibidem habitâ italamentatur: Q lugenda Roma! quæ nostris

stris majoribus clara Patrum lumina  
præbuiisti, nostris temporibus mon-  
struofas tenebras, futuro Seculo fa-  
mosas offudisti. Hic verò sedi Ro-  
manæ alioquin addictissimus, sub ini-  
tium ejusdem Seculi scribit: deci-  
mum nominari infelicissimum,  
quod per annos ferè 150. Pontifices  
circiter 50. à Johanne scilicet VIII.  
ad Leonem IX. usq; à virtute majo-  
rum prorsus defecerint, Apotæctici,  
Apostaticive potius, quàm Apostolici.

## CAP. V.

Quō tempore Ætas Pa-  
pismi Senilis sub *Anti-Christis*  
inceperit.

## §. I.

A Seculi XI. medio circiter  
cum Gregorio VII. five Hilde-  
brando orditur quintum & ultimum  
Pontificum Romanorum Caput, eos,  
qui Anti-Christi appellantur, inclu-  
dens. Hoc tempore omnia divina  
&

& humana, cœlestia ac mundana vindicare sibi ausi sunt Romani Pontifices, adeò, ut etiam Corpus Juris Canonici, id quod Glossatum vocant, Papæ Romano Elogium Domini & Dei nostri attribuat. Tandem verò cum Deus talia ferre amplius nollet, Doctorem Martinum Lutherum, cuius tempore Senilis Papismi Ætas incipiebat, excitavit, qui Ecclesiam Christianam reformaret, ac in pristinum puritatis & integritatis statum reduceret.



Catholicæ Religioni non tam curæ est, ut animi ad probitatem firmentur, quam ut Sacerdotum Opes, Potentia & Auctoritas immensum glorificat ; Monzambano lib. de statu Imp. Germ. c. VIII.

FINIS PAPISM.

INDEX



# INDEX CAPITUM,

*Quæ*

in secundâ hâc Historiâ  
de Calvinismo reperiuntur.

*CAP. I.*

Quando & quibus Aucto-  
ribus error Calvinianus,  
præcipue in Articulo de  
Cœna Domini, Ecclesi-  
am Christi invaserit.

*CAP. II.*

Quando & quomodo Re-  
formati hinc inde in Re-  
gna, Principatus & Du-  
catus irrepserint.

*CAP.*

CAP. III.

Quâ occasione Philippus Melanchton privato instinctu Confessionem Augustanam mutaverit.

CAP. IV.

Quando, quoties & per quos à Reformatis Concordia & Fraternitas Christiana, quæ hodie num Syncretismus vocari consuevit, à Nostratis petita, sed semper denegata fuerit.

CAP. V.

Quod Reformati per Syncretismum vel Fraternitatem

tatem Christianam &  
Concordiam Ecclesiastici-  
cam in nostra haetenus  
Germania si non exter-  
minandam, debilitan-  
dam tamen Religionem  
Evangelico - Lutheran-  
nam quæsiverint. Con-  
tra quorum tamen in-  
tentionem, hoc impri-  
mis tempore, melior fe-  
licitatis spes nostris E-  
vangelico - Lutheranis  
Ecclesiis affulgere vide-  
tur.

NAR-



NARRATIO HISTORICA  
de  
**CALVINISMO.**

CAP. I.

**Quando & quibus Aucto-  
ribus error Calvinianus, præcipue in  
Articulo de Cœna Domini, Eccle-  
siam Christi invaserit.**

§. I.

**V**erum Jesu Christi Corpus ve-  
rumq[ue] ejus Sanguinem in Cœna  
Domini verè & realiter esse præ-  
sentem, vera ac Christiana Novi Te-  
stamenti Ecclesia omni tempore  
constanter est professa. Seculô au-  
tem IX. fortè quidam, Johannes Eri-  
gena, Scotiæ Monachus & Profes-  
sor Parisiensis est repertus, qui ve-  
ram & essentialē Corporis & San-  
gvinis Christi in Cœna Domini præ-  
sen-

sentia  
gavit  
Syno  
damn  
Carol  
mō, I  
& eff  
Chris  
expli  
Scoti  
fio R  
Corb

Se

Ber  
Gaver  
trami  
itider  
corpu  
gvine  
ni no  
diver  
quart  
error  
ejura

sentiam dictis & scriptis publicis negavit, cuius nova & falsa opinio in Synodo Vercellensi rejecta fuit & damnata. Cum verò non longè post Carolus Calvus Imperator à Bertramô, Presbyterô Corbejenſi, de verâ & essentiali corporis & sangvinis Christi in Cœna Domini præsentia explicationem peteret, opinionem Scoti approbabat, verùm à Paschafio Radberto, Abate tūm temporis Corbejenſi refutatus est.

## §. 2.

Seculô XI. Annô Christi 1050. Berengarius Archi-Diaconus Andegavensis in Gallia falsam Scotti & Bertrami doctrinam ex orco revocavit, itidem docens, verum & esse esse corpus & verum ac essentiale sanguinem Iesu Christi in cœna Domini non esse præsentia. Qui verò in diversis quatuor Conciliis, præprimis quartô & ultimô Romæ damnatus, errori suo publicè renunciare eumq; ejurare coactus fuit.

B

§. 3.

§. 3.

Seculô XIV. Annô Christi 1350. Johannes Wiclefus, Academiæ Oxoniensis in Anglia Theologiæ Professor, errorem Berengarii publicis concionibus & scriptis recoxit, iterumq; defendit, docens, Christum in Sacra Cœna non verè ac corporaliter esse præsentem, sed, quemadmodum Johañes tantum per figuram ac signum, non verò in suâ ipsi<sup>o</sup> persona Eliam repræsentabat, ita & verum corpus verumq; sanguinem Jesu Christi solum figuraliter & significativè, nòn verò essentialiter in Sacrâ Cœnâ esse. Et quanquam Johannes Huss, Universitatis Pragensis Theologiæ Professor, libris Wiclefi studiò perlectis, ipsius sententiam in multis aliis, cum primis contra Pontificios amplectebatur, hanc tamen, quam de sacra Cœna aluit, doctrinam, approbare noluit; imò Wiclefus tandem regno expulsus, ejus doctrina Londini publice damnata,

nata,

nata, corpus verò quadraginta post mortem annis tumulo effossum & concrematum fuit.

## §. 4.

Cùm verò præcedente Seculô XVI. Deus misericors per Megalandrum Martinum Lutherum Evangelii veritatem in lucem rursus proferret, Andreas Bodenstein, cui Patria Carolostadii nomen dedit, Professor Theologiæ, nec non Ecclesiæ Arcis Vittebergensis Archi-Diaconus, Annô Christi 1521. absente Domino Lutherô & Vartbergæ in exilio latente, haud absque scandalô & vulgi concursu, non solum statuas, Reformatorum more Templis ejecit, sed & non nisi odio Lutheri ductus, (ipso Philippo Melanchtone, Viro apud Reformatos alias astutissimô teste) corporis & sanguinis Christi in Sacra Cœnâ absentiam defendit. Quo factum, ut beatissimæ memoriarum Lutherus, licet haud ab Eleætore jussus, Zelô tamen motus vere Christiano & libertati Evangelicæ

B 2

con-

contra veritatis divinæ hostes conservandæ utilissimo , ad seditionem plebis Vittebergicæ sedandam , protinus redux factus esset; Carolostadius autem mox evasit , atq; Jenam & hinc Orlamundam , oppidum in Thuringia, sese contulit , nolente ac nesciente Electore ordinarium Ecclesiæ illi<sup>9</sup> Pastorem officio deposuit, eiq; se ipsum ingessit. Lutherus igitur Annō 1524. ex mandato Elektoris Saxoniz Jenam salutans, non tantum apud populum concionabatur, verūm etiam cum Carolostadio colloquebatur, tentans, an ad saniores fortè mentem compelli posset; At verò ad bonam frugem redire nolens , ab Electoris Saxonici Legatis munere pulsus , Rotenburgum ad Tuberam, ubi plerique Ecclesiæ Ministri à partibus Anabaptistarum stabant, abiit ; Hi, postquam capite plectebantur, Carolostadius demissione per murum servatus, nesciens, quò gradum tutò dirigeret, Iiteris ad

ad  
& e  
de  
pro  
ret  
do  
ber  
tas  
hat  
diu  
as v  
à N  
Hü  
log  
Vin  
mir  
rib  
per  
  
R  
re M  
cip  
Tig  
pad  
sam

ad Lutherum missis, pœnitentiam & erroris agnitionem simulavit; Hâc de causâ, ut ab Electore commeatum pro se in Saxoniam reversuro petret, rogabat; Hôc obtentô, in oppido Kemberg, duo milliaria à Vitteberga distante, sedem fixit, placentas coxit, lignumq; in forum advexit, haud amplius Doctor Carolostadius, sed frater vel vicinus Andreas vocari gestiens. Id quod vero, ut à Nonnemine factum, Chemnitii & Hülsemanni, doctissimorum Theologorum fatis, quæ ipsi ut indefessi in Vineadomini Operarii, fractis ac deminutis corporum animorumq; viribus, ante beatæ vitæ fata sunt experti, nullô modô componere fas est.

## §. 5.

Reperiebantur etiam illô tempore Ministri quidam in Helvetiâ, præcipue Huldricus Zwinglius, Pastor Tigurinus, & Johannes Oecolampadius, Pastor Basileensis, qui falsam Carolostadii opinionem pro ra-

A 3 ta

ta habuerunt, publicè docentes, verum ac esse entiale corpus & verum ac esse entiale sanguinem Jesu Christi in Sacra Cœnâ non esse præsentia. Hinc est, quod tandem Carolostadius, & quidem anno Christi 1528. è Saxonia in Helvetiam transfugiens, primò Tiguri, postea Basileæ Diaconus constitutus fuit.

## §. 6.

Quoniam vero Helvetici & Saxonici Theologi eō tempore scriptis frequentibus se invicem provocabant, ipsorumq; adeo Pontificiorum criminationibus occasionem ostendebant, accidit, ut laudatissimus Princeps, Hassia Landgravius, Helvetios cum Saxonibus conciliare studeret; Hunc citatq; in finem Ao. 1529. ad Colloquium Marpurgi institutum, Lutherum & Zwinglium evocavit, in quō Zwinglius cum Luthero in multis fidei christianaꝝ Articulis, eō tantum de Sacra Cœnâ excepto, consensum inivit. Et ob unicum  
hoc

hoc dogma Lutherus, non obstantibus Philippi, Hassiae Landgravii, precibus, Zwinglio ejusque asseclis fraternitatem spiritualem denegavit, promittens tamen, se illis, quantum conscientia ferat, omnem dilectionem christianam exhibiturum, Deumque ardenter rogaturum, velit Eos in hoc etiam Articulô illuminare & ad agnitionem veritatis perducere, vid: infra Cap. IV. §. 1.

## §. 7.

Atvero Amicitia inter Lutherum & Zwinglium Marpurgi contracta mox dirumpebatur, Nam cum anno sequenti 1530. tempus Confessionis Augustae, in publicis Imperii Comitiis, Augustae Vindelicorum, invictissimo Imperatori Carolo V. offerendae appropinquaret, non tantum Zwinglius se a Nostratibus separavit, & Confessionem particularem illicet Augustam misit, sed & quatuor Civitates, Argentinensis Constantiensis Memmingensis &

B 4

Lin-

Lindaviensis peculiarem Confessio-  
nem à Martino Bucero, Pastore Ar-  
gentoratensi, confcriptam, obtu-  
lerunt, in quâ tūm in Articulo de  
Sacrâ Cœna, tūm etiam in multis  
aliis à Nostratibus recedebant, sed nec  
Zwinglii, nec Tetrapolitana Con-  
fessio ab Imperatore recepta, multò  
minus in publica congregatiōne re-  
citata fuit. Argentoratenses tamen,  
annō Christi 1532. in Comitiis  
Schvvinfurtenibus Confessioni Au-  
gustanæ ejusq; Apologiæ (exceptis  
ritibus & ceremoniis) adhuc sub-  
scripserunt.

## §. 3.

Anno 1536. Martinus Bucerus unā  
cum aliis decem Theologis Vitte-  
bergam mittebatur, ut inter Saxonicas  
& Suelicas Ecclesias, præcipue  
Lutherum & se ipsum, qui haec tenus  
magis Zwinglianis quam Luthero  
favebat, eō firmius pacis vinculum  
necteretur ; Et quoniam Bucerus  
cum Sociis omnes errores revocabat,

&amp;

& omnimodum in omnibus Confessionis Augustanæ Articulis cum Lutherò consensum spondebat, concordia tandem inita, & certa formula, cui utraqꝫ pars adversus Calvinianos errores subscribebat, composita est, quam Ecclesia Suevicæ, minus verò Helveticæ receperunt, quæ tamen tolerantiam errorum sub prætextu concordiæ cum Bucero factæ urgebant.

## §. 9.

Tandem, & quidem defuncto Lutherô, Johannes Calvinus, cum Pastor Genevensis vocaretur, Zwinglianis se associavit, cumqꝫ Tigurinis Annô Christi 1549. in Articulo de Sacra Cœnâ consensum iniit, qui tamen, cum Argentinæ adhuc Professorem ageret, pro Lutherano Theologo, qualis semper visus est, habebatur, & ad multa contra Pontificios Colloquia invitabatur; atqꝫ ita post erroris Calviniani semina per multa Germaniæ, Angliæ, Poloniæ, Transsylvaniae.

Sylvaniæ & Galliæ loca mediantibus scriptis ejus sunt dispersa. Et hinc est, quod Calvinus Calvinianis in Germania nomen dedit; Dicuntur etiam Reformati; In Helvetiâ à Zwingliô Zwingiani; in Anglia Puritani, in Sabaudiâ hodiè Waldenses; in Bohemiâ Picarditæ, in Galliâ deniq; Hugonottæ appellantur.

## CAP. II.

Quando & quomodo Reformati hinc inde in Regna, Principatus & Ducatus irrepserint.

## §. I.

CUM Annô Christi 1547. Tutores Angliæ Regis Eduardi VI. adhuc tenelli, Religionem Pontificiam eradicatorum cuperent, Petrus Martyr Oxoniæ, celebrem Angliæ Urbem, sacras literas interpretandi causâ, vocatus est, qui errorem Zwingianum, antea ab ipso, Universitatis Argentinensis Professore, dimissionis formidine dissimulatum, denuò in Anglia

glia propagavit; Atque ita falsa hæc doctrina clandestinè irrepfit. Tutores enim Regii orthodoxum Doctorem ac Concionatorem electum arbitrabantur, &, quām falsam fovere doctrinam, planè nesciebant. Hunc postea anno 1549. secuti sunt Martinus Bucerus & Paulus Fagius, qui pariter in dissemination Zwinglianorum doctrinæ occupati, mox fatis ibi concesserunt; Postquam igitur, mortuô Rege, jussu Mariæ Reginæ, Religio Papistica instaurabatur, Petrus Martyr anno Christi 1554. Argentinam reversus, abhinc invariata Confessionis Augustanæ subscriptionem detrectans, cùm haud benè antea stetisset, Tigurum pervenit, ubi errorem, quem de Sacra Cœnâ errabat, haud securus ac postea anno Christi 1569. consentiente Theodorô Beza, in Gallia impigrè dilatavit.

## §. 2.

Annô Christi, 1557. Proceres Poloniae  
B 6

loniæ de acceptandâ Confessione Augustanâ deliberabant; Cùm verò eôdem temporis traëtu Johannes Lasky, Nobilis Polonus, versutissimi & blandientis Ingenii Calvinianus, qui in Anglia peculiarem Ecclesiam Zwinglianam, ex impetrato quidem, sed non juxta tenorem incorrupti verbi divini & legitimæ Sacramento-rum administrationis observato juf-su, fundavit, redux factus esset, evenit, ut doctrina Evangelii corruptè prædicata & magna Poloniæ pars Calvinismô contaminata fuerit. E-quidem non à vero abludit, Johannem Hussum & veteres Hussitas jam diu quidem ante etiam in Polonia fuisse commoratos, planè autem diversa à doctrina Hussitarum vel Thaboritarum, modernorumve Reformatorum docuerunt.

## §. 3.

Anno Christi 1563. per Fridericu-m III. Electorem Palatinatus Religio Reformata publicè accepta,

Hei-

Heidelbergæ potissimum omnes  
Imagines ac Altaria cum impetu eli-  
minata, Lutheri Catechismus abro-  
gatus & alius quispiam Calvinο-Re-  
formatus fuit obtrusus; His talibus  
operā suā masculè adfuit Wilhelmus  
Clewizius, qui in Ducatu Würtem-  
bergico mentem Reformatam pari-  
ter oculere studuit, Heidelbergæ  
verò, Ecclesiæ Minister factus, eam  
detegere ac publicè defendere nil  
verebatur; Et licet Doctor Tileman-  
nūs Heshusius, Superintendens  
Heidelbergensis ( Clewizius enim  
primus hanc doctrinam divulgabat)  
non immeritò forti animo se ipso op-  
poneret, nihiltamen effecit, quin  
potius tandem alios Evangelico-  
Lutheranos & Pastores & Ludimo-  
deratores in exilium comites traxit.  
Fridericō vitā functō, Filius ejus Lu-  
dovicus, Princeps pius & laudandus,  
Lutheranis templa reddidit, &  
omnes Doctores atq; Auditores, qui  
Catechesi Palatinæ repudium mitte-  
re;

## 38 NARRATIO HISTORICA

re recusabant, dimisit ac relegavit. At post beatum Ludovici obitum, A. C. 1583. frater ejus Johannes Casimirus, Friderici IV. Tutor, Religionem Calvino-Reformatam, reclamante apertissimâ Domini Fratris Ludovici Testamenti literâ, denuò in Palatinatum revocavit. Cui studiô indefessô adstitit Johannes Jacobus Grynæus, qui Tübinger Doctor Theologiæ creatus, contra Reformatos multis disputavit; simul ac verò Basileam & hinc Heidelbergam vocatus est, Calvinismum publicè amplectebatur. Iisdem dolis Reformati Palatinatum Bipontinum sunt ingressi; Nam cùm anno Christi 1577. à Johanne, Palatino, Principe Bipontino, ut & ab ejusdem Theologis Formulae Concordiae jam esset subscriptum, à quibusdam Principiis & Theologis, mente Calvinianâ infectis, aliquot Censuræ, Formulae Concordiae adversæ, Ipsi mittebantur, quorum aliquibus à Reformatis in-

insusurrabatur, novas, horrendas & blasphemias de ubiquitate Doctrinas in eâ contineri; Et quoniam Censu-ræ transmissæ, insciô Concionatore ejus aulicô D. Heilbrunnerô, præ-fentibus saltem Confiliariis quibus-dam Politicis, qui & Theologica haud solidè edocti, insuper Crypto-Calviniani erant, prælegebantur, res, proh dolor! eò rediit, ut jam jam facta subscriptio retractata, D. Heil-brunnerus in exilium postea actus, & ex Palatinatu Bipontinô planè eje-ctus fuerit, donec tandem anno Christi 1588. Reformati, antiquato Lutheri Catechismô, novum quen-dam composuerunt, & in eô substi-tuendô singulari dolô usi sunt; pro-bè enim scientes, Principi novam Catechesin haud facile probatum iri, non novam, sed saltem copio-fiorem veteris interpretationem es-se, ipsi persuaserunt. Ex eô igitur tempore Ducatus Bipontinus Calvi-nismo est corruptus.

§. 4.

## §. 4.

Iisdem fatis obnoxius erat Principatus Anhaltinus. Wolfgangus enim Amlingius, eruditionis opinione ex audacia juvenili turgens, non solum principem, Joachimum Ernestum, sed & Theologos ejus à subscriptione Libri Concordiae dehortatus est. Et quamvis, patentibus ipsis, Praefide & Cancellario, Anhaltinis, modo nominatus Amlingius in Colloquio Herzbergensi, ab Augusto Saxoniam Electore, anno Christi 1578. instituto, Theologis nostris haud parem se se præstitisset, Religionem tamen Calvinum - Reformatam in Principatum Anhaltinum introduxit, quam tempore sequenti Marcus Fridericus Wendelinus, Servestæ Rector summo nisu propagavit & propugnavit; At verò nunc in duabus antiquissimæ hujus ac Serenissimæ Domus Ecclesiis Cathedralibus, Servestæ nimirum, ut & Cöthæ, pristina eaq; purior doctrina Evangelico-Lutherana resonat rursus ac docetur.

§. 5.

## §. 5.

Nec impari fortuna Hassia à Reformatis premebatur. Nimirum cum pius Princeps Ludovicus, Mauriti Patruelis, beatâ morte ocumberet, & Mauritio, Hassiae Landgravio, Marpurgum cum Universitate cederet, Reformati anno Christi 1605. Lutheranos Marpurgenses Theologos & Professores, non ut vulgo accusantur, quasi Autores Tumultus Marpurgici fuissent, sed quod lingua Calvinianâ loqui nollent, ab officiis remotos, abire, aliosq; in eorum locum succedere jusserunt; Atque ita ab eo tempore Hassia Casselana Calvinismo fuit obruta.

## §. 6.

Regionibus itaq; ac Principatibus Religione Reformatâ depravatis, Calviniani semper plus ultra progressi non sunt veriti. Licet enim Margravius Johannes Sigismundus,

Elector

Elector postea Brandenburgicus, Domini Parentis Electoris Joachimi Friderici instin<sup>c</sup>tu & iussu, anno Christi 1593. Ætatis 21. in arce Moritzburg Halæ Saxonum ore ac literis fidem dederit, se ab invariata Confessione Augustanâ nunquam regressurum, nec, ut diversa, ab hâc, doctrina altas in Ecclesiis ac Scholis radices agat, permisurum, nihilo minus tamen, aliquoties ad aulam Heidelbergensem profectus, Seductoribus obsequens, eò permoverebat, ut, post habitis laudandorum Majorum vestigiis, non obstante Hallensi obligatione, anno Christi 1614. publico Edicto ad castra Reformatorum transiverit, perswasus antea, nullum in rebus divinis obligationibus concedi locum, omniumque maximum committi peccatum, si Spiritui Sancto omnes aditus ac transitus præcludantur, ejusq; motus à nobis impedianter. At verò non stabit hæc exceptio, nisi cum promis-

fa

sa ejusmodi , quæ dicunt reversalia ,  
falsâ ac hæreticâ doctrina nituntur ,  
atq; ita hanc ipsam deferendam , ve-  
tam autem ac infucatam amplecten-  
dam respiciunt .

## §. 7.

Non incommodè hic quæritur :  
Num Parentes in rebus Religionem  
concernentibus certi aliquid deter-  
minare queant , ita , ut liberi posteri-  
que per conscientiam horum Ordini-  
nem sequi teneantur ? Quis quæso  
dubitaret , tūm maximè , si Religio ,  
quæ dispositionem subit , verbo Dei  
consentanea & orthodoxa fuerit .  
Annon Propheta & Rex David Sa-  
lomonem filium & hortatus est &  
jussit , ne à verâ Religione , quâ à te-  
neris lactabatur , ullo modo recede-  
ret , sed toto potius animo , toto  
que corde eam amplecteretur ? Tu ,  
inquit , Salomo , fili mi , agnosce  
Deum Patris Tui & cole eum corde  
integro & animo voluntario , omnia  
enim corda scrutatur Dominus , &  
uni-

universas mentium cogitationes intelligit, si quæsieris eum, præsto erit tibi, si autem dereliqueris eum, rejiciet te in æternum. Solam autem Lutheranorum Religionem veram, verbo Dei firmissimè innixam, perfectam esse & unicè salvantem, multi Theologorum nostrorum, imprimis verò Leonhardus Hutterus, Vittebergenensis, & Johannes Georgius Sigwartus, Tübinger Professor, ante plures quam quinquaginta annos, contra Calvinos Reformatos abundè ac invictè demonstravit, adeò, ut nihil prorsus solidi ad hunc usq; diem in contrarium protulerint. Et quid multa? Ipsa certè Synodus Nationalis, à Reformatis in Galliâ & Beariâ, Charentoni Anno Christi 1631. coacta, aperchè fateri cogitur: Ecclesiæ, Confessioni Augustanaæ addicetas, principia & fundamentalia veræ Religionis capita tenere, & in illarum cultu nec Idololatriam ullam, nec superstitionem

nem esse. Hoc Synodi Decretum Antonius Cregutus, Theologiæ in Densi Academiâ Professor, & Matthæus Bochartus, apud Caenses Pastor, peculiaribus & gallicô sermone editis scriptis defendendum suscepunt. Imò etiam David Blondellus, Vir inter Reformatos eruditio[n]is famâ haud postremus, sincerè alicubi testatur: Ecclesiæ illas, nostras scilicet, quæ Lutheranæ vulgò audiunt, Catholicas, quibus certa salus promissa sit, nobilia & vivida membra esse. Cùm igitur Reformati ipsi[t] talem confessionem exprimat veritas, quod Lutheranæ Religio fundatum salutis inconcussum servet ac teneat, illâq[ue] indubitato vita æterna acquiri possit, quis quæso de Religionis Lutheranæ veritate dubitaret, vel ab eâ ad Calvinianos descisceret? Num qui tranquillâ conscientiâ vel absq[ue] insigni ejusdem lâsione Religioni eorum subscribere aut

aut in eâ perseverare posset? Nota sunt St. Apostoli verba cap. III. Epist. ad Coloss. Liberi obedite Parentibus vestris in omnibus, hoc enim beneplacitum est Domino. Quantoperè obedientia Rechabitarum, Jonadab Patri in omnibus præstata, supremo Numini arriserit, & quām insigniter ex alto benedixerit ILLIS, ex Jeremiæ Prophetiâ cap. xxxv. fatis innotescit.

## CAP. III.

Quâ occasione Philippus Melanchthon privato instinctu Confessionem Augustanam mutaverit.

§. 1.

PHilippus Melanchthon, Academiae Vittebergensis Professor Theologus, vir quidem doctissimus, at unâ timidissimus, non tantum à parte Lutheri stare, sed & cum Zwinglianis facere amabat. Quemadmodum igitur multa in gratiam Re-

Reformatorum & scripsit & locutus est; Ita & anno 1540. in eorum favorem Confessionem Augustanam in multis, præcipue verò Articulo decimo mutavit, quod Exemplar hodienum adhuc variata Confessio Augustana vocatur, & Confessioni invariatae, anno Christi 1530. Imperatori Carolo V. Augustæ Vindelicorum traditæ, opponitur. Quamquam verò Electoribus & Statibus Confessionem suam & omnia ejusdem verba exactè ponderare ac modificari licuit; Variatio tamen sensum primarium tollens, & capita fidei fundamentalia corrumpens, primo decennio ab anno 1530. usq; ad annum ferè 1540. nulla est facta.

## §. 2.

Evidem affirmant Reformati, mutationem hanc sciente ac volente Luthero à Philippo Melanchtonē esse suscepitam, eiq; ab Electoribus, Principibus ac Statibus Protestantib; Sacri Imperii Romani demandatam;

Sed

## 48 NARRATIO HISTORICA.

Sed nil nisi fucum faciunt. Primò enim omnium constat, Lutherum non unâ vice Philippum ab ejusmodi Confessionis Augustanæ variatio-ne avocâsse. Imò quandoque ex-postulans cum eo interrogabat: *Quis tibi hoc mandavit?* id quod viri si-de digni, queis ex ipfissimo Lutheri ore talia haurire contigit, propriis scriptis testantur.

## §. 3.

Nec minus postea laudatissimus Saxoniae Elector, Johannes Fridericus, per Cancellarium suum, Doctorem Pontanum, Philippum Melanchtonem graviter increpuit, quod Catholicam Statuum ac Ecclesiarum Protestantium Confessionem, quoad res ipsas, variare & typis commissam publicare non erubuerit.

## §. 4.

Hinc factum, quod Philippus statim sequenti anno post, nimirum 1541. in Colloquio Ratisbonensi, id, quod antea, cum primis Articulô X. (ex professo Zwinglianis oppositô) varia-

variaverat & omiserat, rursus addere, unà cum Bucero atque Pistorio manu propriâ ei subscribere, & in hoc solenni conventu Imperii ultimò variatam editionem reverè improbare cogebatur ; quod certè nihil aliud fuit, quam revocatio eorum, quæ ante expunxit, secundum ipsissimam Scriptorum Casselanorum Confessionem, Theologorumq; Darmstattenium responsionem ad ea in speciali horum refutatione.

## §. 5.

Similiter tota Protestantium Ecclesia hanc variationem rejicit. Cùm nempè per Calvinο-Reformatos tam varia tamq; diversa Confessionis Augustanæ Exemplaria in publicum ederentur, & hic illâ, ille verò hâc editione ad sententiam suam corroborandam uti vellet, adeò, ut de authenticâ editione nihil ferè certi amplius constaret; Adde etiā, quod ejusmodi exemplarium diversitatem Pontificii Statibus Protestantib<sup>9</sup> opponent & exprobrarent, hinc est, quod

C cer-

certus isque notabilis dies conventui  
Principum Naumburgi A.C. 1561.  
indicebatur, ubi Confessio à Philippo  
Melanchtone variata explodebatur,  
contra verò invariata Confessio Au-  
gustana, prout ea Carolo V. exhibita  
& à Protestantibus subscripta fuit,  
de novo confirmabatur. Ex quibus  
omnibus sole clarius patet, mutatio-  
nem rerum in Confessione Augustanâ  
à Philippo impulsu proprio fa-  
ctam & nullibi ac nunquam à Stati-  
bus Protestantibus approbatam fu-  
isse atque acceptam. Hinc ergò pro-  
be notari meretur, variationem Con-  
fessionis Augustanæ esse duplicem,  
unam, quæ ad verba saltem aliqualia,  
alteram, quæ ad capita fidei attinet;  
Non de priori, sed posteriori in  
toto hoc capite fuit  
actum.

## CAP. IV.

Quando, quoties & per  
quos Reformati Concordiam & Fra-  
ternitatem Christianam, quæ hodie-  
nūm Syncretismus vocari consuevit,  
à Nostratibus rogaverint, sed tamen  
nunquam impetraverint.

§. I.

CUM A.C. 1529. Status Protestan-  
tes Pontificis permittere nollent,  
ut Zwingianos (eo tempore in Con-  
cilio nondum auditos, & bonam ab  
erroribus desistendi & ad veritatis  
viam redeundi spem nobis relin-  
quentes) diris & persecutioni devo-  
verent, evenit, ut Philippus, Hassiae  
Landgravius, hoc ipso anno Marpur-  
gi Colloquium institueret, ad quod  
non solum B.Lutherum cum Philip-  
po Melanchtonem aliisque pluribus, sed  
& Zwingium & Oecolampodium  
cum Sociis invitavit. Et licet Phi-  
lippus, Hassiae Landgravius, Luthe-  
rum, qui præter verba Christi nil ur-  
gebat, inde sinenter sollicitaret, vel-

C 2

let

AP.

let Zwinglium, tantum in Articulo de  
Sacrâ Cœnâ ab eo dissentientem,  
Fratrem in Christo recipere & decla-  
re, nequaquam tamen id impetra-  
vit, ut jam supra cap. I. §. 6. est osten-  
sum. Zwinglius ipse tūm tempo-  
ris, haud absque precibus, præsente  
Landgravio & multis aliis, dicebat:  
Nulos dari in terrâ homines, cum  
quibus pacatè vivere ardenter op-  
taret, quam Vittebergensibus; At  
quia errori valedicere recusabat, nul-  
la ipsi à Luthero fraternitas est con-  
cessa. Si enim precibus semper res  
componenda foret, omnis certè ro-  
gans, & vel tantillum de Chri-  
sto jactans, fratris instar esset co-  
lendus.

## §. 2.

Anno Christi 1530. qvum Confessio Augustana Imperatori à Nostratis offerenda, Zwingiani Scriptum quoddam evulgarunt, in quo strenuos se dederunt & Suasores & Impulsores, ut à Nostratis in fidei

fidei consortium ac fraternitatem admitterentur. Quod scriptum primò Philippo, Hassiae Landgravio, (qui à Zwinglianis malè persuasus ac sinistrè informatus erat, ac si controversia de sacrâ cœnâ levis tantum momenti esset) & postea Melanchtoni ac Brentio, de quibus leniora Landgravius, quam de Luthero sperabat, traditum, sed gratis atq[ue] irrita opera.

## §. 3.

Cùm enim hæc quæstio ad Philip-pum Melanchtonem & Brentium Augustam ~~Vindelicorum~~ deficeretur iisque rem dissuasissent, Philippus, Hassiae Landgravius, scriptum Zwinglianum ad Facultatem Theologi-cam Vittebergam misit, num fortè quicquam hoc modo impetrari pos-set, tentans. Theologi autem Vittebergenses, unanimiter antea deli-berantes, in Philippi & Brentii sen-tentiâ steterunt. Melanchton quo-que propriâ manu ad Hassiae Land-

C 3

gra-

gravium scribens, mentem suam ita detexit: Sacramentarii pro fratribus neq̄ agnosci neque haberi debent; Quod Philippi consilium ideo probè notandum venit, quod Reformati Philippum Melanchtonem ab anno 1525, cùm Oecolampadii Dialogum legisset, Calvinο - Reformatis haud porro se opposuisse nugantur.

## §. 4.

Porrō, cùm Fridericus III. Elector Palatinus, Reformatæ Religioni nuntium nollet mittere, & Imperator Maximilianus II. A. C. 1566. in Comitiis Augstanis Electores & Principes Evangelicos fériā mente sciscitaretur: an Electorem Fridericū, pro vero Confessionis Augustanæ membrō háberent, eumque paci religiosæ vellent inclusum? ad binas negando responderunt, addentes, se neminem Religionis causâ periculo exposituros, atq̄ adeò Friderico Electori, de cuius conversione non desperandum prorsus, pacatam

&amp;

& tranquillam vitam haud invisu-  
ros; ut verò sub titulô & prætextu  
Confessionis Augustanæ tanquam  
membrum & Frater pace Religionis  
comprehenderetur, se neutiquam  
comprobaturos.

## §. 5.

A. C. 1631. Calviniani in Collo-  
quio Lipsiensi, inter Theologos Lu-  
theranos ac Reformatos, non quidem  
jussu Electoris, sed proprio ac priva-  
to consilio, habito, subscriptionem  
in variata Confessionis Augustanæ  
spontè elegerunt, sed à Nostratisbus,  
variata simuli admissuri, sunt re-  
pressi; Theologi enim Saxonici  
haud immerito modestè illos dimit-  
tebant, omnem quidem Christianum  
sed non fraternalum simuli amo-  
rem ipsis spondentes.

## §. 6.

Anno Christi 1638. & 1639. Jo-  
hannes Duræus, Reformatus, in Sue-  
ciæ ac Daniæ finibus omnem ope-  
ram ad pacem ecclesiasticam & spi-  
ritua-

C 4

ritualem fraternitatem, inter nos & Calvinianos sanciendam, contulit, sed frustra. Ejus enim conatum fore irritum, ejusdem fidei Consors Johannes Lætus, haud falsò prædixit.

## §. 7.

Et licet in Colloquiō Cassellanō A. C. 1661. inter Theologos Rintelenses & Marpurgenses institutō, Syncretismus fuerit initus, & Reformati à Nostratibus pro fratribus sint suscepiti, tantum tamen abest, ut Theologi verè Lutherani Rintelensium Syncretismum approbaverint, ut eum potius mirum quantum detestati fuerint; id quod tam trium Universitatum, quæ Lipsiæ, Vitebergiæ ac Jenæ vigent, ad Rintelenses, quam etiam alia complura scripta sati superq; loqvuntur. Ex quibus omnibus clarè elucet, fraternitatem nostram à Reformatis sæpè multumque tentatam, nunquam verò ob rationes prægnantes fuisse impetratam, eò maximè, quod Nostrates probè agno-

agnoscabant, Reformatos, ad subscriptionem Confessionis Augustanae admissos, aliò planè ac contrario sensu subscripturos; Atq[ue] inde est, quod nec doctrina pura, ut indivisa Dei veritas, nec concordia sincera, nec prudentia Christiana, nec antiqua Germanorum fides & infucata dexteritas ejusmodi fraternitatem ullò modo admittunt.

## C A P. V.

**Quod Reformati per Syncretismum vel Fraternitatem Christianam & Concordiam Ecclesiasticam in nostrâ haetenus Germaniâ, si non exterminandam, debilitandam tamen Religionem Evangelico-Lutheranam quæsiverint, contra quorum tamen intentionem, h[oc] imprimis tempore, melior felicitatis spes nostris Evangelico-Lutheranis Ecclesiis afulgere videatur.**

§. 1.

**R**eformati quidem ac Syncretistæ omnes id unō fermè ore crepant,

C 5

se

se nequaquam intendere, ut Lutherani doctrinam suam amplectenterunt, sententiamque hactenus defensam dimitterent, sed saltem ut dogmata, huc illuc controversa, utro citroq; tolerantiæ beneficiō gauderent. Et hinc est, quod Theologi Universitatis Rintelensis, cum Marpurgicis Calvino-Reformati Syncretismum contrahentes, hāc ratione excusationem suam stabilire volunt, se non fraternitatem vel amicitiam spiritualem, sed tolerantiam tantummodo civilem, & externam ecclesiasticam injisse.

## §. 2.

At verò lusus, quem Reformati cum Lutheranis hinc inde in Germaniâ luserunt, saltus planè contrarios nos docebant, præcipue in Palatinatu Simmerensi & Bipontino, quibus locis Tilemannus Heshusius & Jacobus Heilbrunnerus, Theologiaz Doctores, plurimiq; alii Ecclesiæ ac Scholarum Rectors, conscientiâ ad con-

contradicendum obstricti, à Reformatis fugere sunt coacti, cuius supra jam jam cap. II §. 3. mentio facta. Cumq; Marpurgi Henricus Leuchterus, Superintendens, ut & Johannes Winckelmannus & Balthasar Menzerus, Theologiæ Doctores ac Professores, ad mentem Reformatorum se accommodare nec vellent, nec possent, pari modo loco moti, aliò migrabant, vid: supra cap. II. §. 5. Eadem adversa alia plura loca senserunt. Quod verò Reformati certis locis sunt fugati, certè non abs re factum, quandoquidem non tam Religionis Reformatæ causâ, quam quod eam ubivis locorum cupiebant introductam, dimittebantur.

## §. 3.

Quod annis abhinc amplius triginta in Marchiâ Brandenburgicâ accidit, quando nimirum edictis aliquot Ministris Evangelico - Lutheranis injungebatur, ut ab Elencho Nominali abstinerent, seu Calvinio-Refor-

C 6

matos

matos in concionibus nominatim non confutarent, aut, si hoc dispi-  
ceret, functiones suas defererent, &  
ulteriori ad officia ecclesiastica pro-  
motione penitus excluderentur, pro-  
hibebaturq; ne Studiosi ex Marchiâ  
oriundi studiorum gratiâ Vitember-  
gam porrò se conferrent) parte XII.  
Diarii Europæi & quidem pag. 452.  
pluribus videre est.

§. 4.

Quod verò Reformatos in Gallia  
spectat, multò aliter illi erga nos  
Evangelico - Lutheranos se gesse-  
runt; prout frequentes ab Illis hinc  
inde in Galliâ instituti conventus,  
cum primis autem Synodus Nationa-  
lis, A.C. 1631. Charetoni habita, plu-  
ribus testantur, quo de supra cap. II.  
§. 7. paucis agebatur.

§. 5.

Neq; silentio h̄c prætereundum,  
laudatissimum Serenissimi ac Poten-  
tissimi Domini, Domini Friderici III.  
duodecimi Electoris Brandenburgici,  
gloriosè

gloriosè hâc tempestate regentis, exemplum, qui in immortalem Nomini sui famam A. C. 1694. Academiam Evangelico-Lutheranam Halæ Saxonum, ubi Serenissimus ejus Proavus, Dominus Johannes Sigismundus, Marggravius ac Elector Brandenburgicus, ordine nonus, Doctrinæ Evangelico - Lutheranæ immorari, quin & immori se obstrinxit ( de quô supra cap. II. §. 6. egimus ) de novo fundavit ac erexit, erectam Professoribus Evangelico-Lutheranis instruxit, ejusq; Inaugurationi primo mensis Julii die ipse interfuit : Præterea Berolini, quæ Urbs Electoralis sedes est, templum prorsus novum ædificari eiq; Ministros Evangelico - Lutheranos præfici mandavit. Finiamus hic verbis Beati Domini Doctoris Tobiæ Wagneri, Cancellarii quondam & Theologiz in Academia Tubingensi Professoris : Sunt & Reformatis Lutheri, Selnecceri, verùm ob præstantissima, queis

queis pollut, dona, maximè deplo-  
randum est, quod in omnibus nobis-  
cum non faciant.

Non abs re erit addere hīc, quæ  
Hugo Grotius in Voto pro pace ec-  
clesiastica contra Examen Andreæ  
Riveti adducit verba: Non aliō ani-  
mō benignæ fraternitatis verba usur-  
pari à Calvini discipulis, quām ut  
quocunque modō irrepant, ubi satis  
invaluerint, ejecturi alios, sicut ex  
Batavis Arminianos: Lutheri autem  
discipulos ex Palatinis terris]  
bis ejecere.

### FINIS CALVINISMI.

### INDEX



# INDEX CAPITUM,

Quæ

Tertia hæc Historia de Arminianismo comprehendit.

CAP. I.

Quando & quomodo Doctrina Arminiana ortum suum traxerit.

CAP. II.

Quot Articulis Jacobus Arminius à Reformatorum dogmatibus discesserit & quæ hodierna Arminianorum sit doctrina.

CAP. III.

## CAP. III.

Quod hic Religionis dif-  
fensus in bellum publi-  
cum inter unitas quaſ-  
dam Hollandiæ & Bel-  
gii Provincias erumpere  
visus fuerit.

## CAP. IV.

Quid de Synodô Nationa-  
li, contra Arminianos  
Dortrechti habitâ, sit  
habendum.

## CAP. V.

Quid in Synodô Dor-  
trechtanâ, imprimis  
cum Hugone Grotiô &  
Johanne Olden Barne-  
feldiô, notatu dignum  
acciderit.

NAR-

—  
—  
—  
—  
—  
—  
—  
—  
—

NARRATIO HISTORICA  
De  
ARMINIANISMO:  
CAP. I.

Quando & quomodo do-  
ctrina Arminiana ortum suum  
traxerit,

§. 1.

**I**nitiō ferè hujus nostri, in quō vi-  
vimus, Seculi , nunc ad finem pe-  
nē vergentis decimi septimi, an-  
nō nimirum ejusdem tertio, nata est  
Arminianorum , ut vocant, Secta,  
dum inter ipsos Reformatos gravis  
admodum dissensus atque confusio  
est exorta , divisis iisdem in Armi-  
nianos sive Remonstrantes & in Go-  
maristas seu Contra-Remonstrantes.  
Arminiani ita dicebantur à Jacobo

Ar-

Arminiō, Amstelodamiprimum Pa-  
store & Universitatis Leydensis po-  
stea Professore. Aliō nomine ap-  
pellati sunt Remonstrantes, ab Apo-  
logiā Hollandiæ & Occidentalis Fri-  
siæ Ordinibus oblatā, & Remon-  
strantiaꝝ seu doctrinæ declaratioňis  
nomine insignitā. Hinc tantūm  
Remonstrantes, non verò Arminia-  
ni cupiebant nominari, more vete-  
rum Donatistarum, hodiernorumq;  
Calvinianorum ac Socinianorum,  
qui itidem nomen Auctoris respu-  
unt, dicentes: Christus est Domi-  
nus noster, ab eo denominari volu-  
mus omnes.

§. 2.

Primus, qui Arminianis sive Re-  
monstrantibus contradixit, fuit Fran-  
ciscus Gomarus, Universitatis Ley-  
densis Theologiæ Professor, Armi-  
nii Collega, cujus Confortibus no-  
men Gomaristarum seu Contra-Re-  
monstrantium hæsit, quod Remon-  
strantibus sese opponerent.

CAP.

## CAP. II.

**Quot Articulis Jacobus Arminius à Reformatorum dogmatibus discesserit, & quæ hodierna Arminianorum sit doctrina.**

## §. 1.

Sub initium dissensus Arminius à reliquorum Calvinianorum dogmatibus in quatuor præcipue capitibus divortium fecit, videlicet in Articulō de Prædestinatione, Meritō Christi, Gratiâ conversionis, & Certitudine salutis; Innixus fundamento Scripturæ, in multis cum Lutheranis sentiebat. Occasio hujus dissensus ipſi erat hæc: Postquam Arminius ex Helvetiâ in Belgium venerat, offerebatur ipſi libellus contra quosdam Delphenses, qui tanquam Sub-lapsarii, ut vocantur, Bezan Supra-lapsarium confutaverant; Equidem res ideo commissa est Arminio, quod lectiones Bezae publicas frequentarat, ejusq; sententiam optimè omnium animo imbiberat.

## §. 2.

§. 2.

Cum igitur Arminius, Jacobus Hermannus alias dictus, Vir excellentis ingenii & doctrinæ, hoc opus aggrederetur, animadvertisit vim argumentorum, quibus Delphenses fuerant usi, non quod de Prædestinatione sana ac recta statuerint, sed quod ad refellendos Bezæ errores multum conferrent, qui eâ ratione contra hæc argumenta ab Arminio non poterat defendi; Itaq; mutatâ sententiâ, contra Bezan, Præceptorem olim suum, ipse nunc disputavit. Arminii successores ceterum brevi post in Pelagianismum, cuius semina ipse Arminius jam jam aluit, prolapſi sunt. Docuit nempè Pelagius, hominem absq; gratia divinâ assistente posse nihilominus bona opera facere, atq; sic Conversionis opus propriis viribus absolvere; Cum primis autem post obitum Arminii, qui in nonum seculi hujus & sextum Sectæ ejus novæ annum incidit, omnis eo-

rum

rum doctrina Socinianorum etiam erroribus est infecta.

## §. 3.

Anno Seculi hujus decimô Arminii discipuli in Apologiâ, quam ut supra cap. i. dictum, Remonstratiam vocabant, octo capita controversa exposuerunt, quæ potissimum gratiæ divinæ universalitatem respiciebant. Anno seculi hujus X I. Collatio Hagæ Comitum est instituta, in quâ sententiam suam declararunt. Hodiè verò doctrina eorum ad merum tendit Syncretismum sive fraternalm Concordiam, quod omnes tolerent, à quibus ipsi tolerantur, Anabaptistis etiam ac Judæis non exceptis, ad morem Socinianorum modestiorum, qui fidei suæ adversarios nolunt oppugnatos, sed tolerantiam in Ecclesia perpetuam expetunt, hōc ipso à Socinianis rigidioribus abeuntes.

CAP.

## CAP. III.

Quod hic Religionis dissensus in bellum publicum inter quasdam Hollandiæ ac Belgii Provincias erumpere visus fuerit.

## §. 1.

**Q**uemadmodum autem fieri solet, ut, quando Anchora movetur, navis turbetur; Sic etiam in Navi Reipublicæ gravissima hæc Religionis dissidia in factiones & turbas tandem politicas degenerârunt, adeò, ut Civitates quædam, eæq; non infimæ, præcipue verò Ultrajectum, Lugdunum & Harleum, varia nova contra unitas Provincias, nec non eorundem Gubernatorem, Mauritium, Principem Auriacum, molirentur.

## §. 2.

Et quamvis hæc Urbes per Mauritium rursus domatæ & ad officium sint redactæ, haud tamen Consilia Ultra-

Ultrajectina tūm sibi tūm Patriæ inimica deseruere; Quā de causā Autores concitati hujus tumultus Haga Comitum ad causam dicendam sunt vocati, ibique postea anno 1618. in custodiam dati, quæ res plerosque Remonstrantium animos fregit.

## CAP. IV.

## Quid de Synodō Natio- nali, contra Arminianos Dordraci habitā, sit habendum.

**T**andem etiam Synodus Dordraci agebatur, mense Novembris anno 1618. inchoata & 1619. subseuenti, mense Aprilis finita. Ad hanc multi ē magna Britanniā, Helvetiā, Palatinatu, Hassiā & Republīcā Herbornensi, Genevensi, Bremensi & Embdanā Theologi sunt conscripti. Actum ibidem fuit de quatuor Articulis, ( quos alii quinque constituunt ) inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes agitatis;

At

72 NARRATIO HISTORICA

At Remonstrantes eorum decreto, quos Actores suos hostesq; noverant, parere recusarunt, sed confessione fidei suæ exhibitâ, & interpositâ protestatione in sententiâ sua perstiterunt ; Quapropter aliqui Remonstrantium absque sufficienti causæ cognitione in carcerem missi, aliqui morte mulctati, aliqui patriâ pulsi sunt.

§. 2.

Quid verò de hōc Concilio Dordracenō habendum sit, de illo Nicolaus Hunnius, Superintendens Lubecensis, Theologus magni judicii nec minoris industriae, legi potest, qui anno Seculi hujus XXVI. tractatum edidit elimatissimum: de Fundamentali dissensu doctrinæ Evangelicæ - Lutheranæ & Calvinianæ seu Reformatæ, cum præmissâ consideratione hypocriseos Calvinianæ, hāc Synodo Dordrechtanâ proditæ, qui utilissimus liber in magnum Ecclesiæ emolumentum anno Christi

1663.

1663. Vittebergæ denuò excusus est. Quæ verò Conradus Bergius & Marcus Fridericus Vendelinus adversus Nicolaum Hunnium scriptis proferunt, ad ea Georgius Moebius, Theologus Lipsiensis, in suis Vindiciis Hutteriannis, A. C. 1672. divulgatis, solidè respondit; Doctōr itidem Menzerus duas disputationes conscripsit, quarum prior proponit Reformatorum Lutheranam Synodi Dordrechtanæ de Prædestinatione linguam (vocem Jacobi) posterior ejusdem Synodi Calvinianam de Prædestinatione mentem (manus Esavi.)

## CAP. V.

Quid in Synodō Dordrechtanā, imprimis cum Hugone Grotiō & Johanne Olden Barnefeldiō notatu dignum acciderit.

## §. I.

SUB initium Concilii illius Dordrechiani Barnefeldius & Hugo Grotius, summi ac incomparabiles

D

in

in Europa Politici, ut & Hogerbetius sive Hogobertus, qui cum Grotiō Barnefeldii discipulus erat, carceri inclusi, & quoniam primus horum, Barnefeldius, magnæ auctoritatis Vir erat, Hagæ Comitum detenti postea verò in arcem Lovestein sunt translati quæ omnia durante hoc Conciliabulo accidebant. Barnefeldius antea, qui tantum in totâ, quantum Mauritius in bello poterat, ad exterros Reges, quos, ut ad se accederent, & Religioni Arminianæ se addicerent, impellebat, literas misit, in quibus Principem Auriacum graviter premebat, & domui Auriacæ multas molestias persuasionibus suis creabat; In suspicionem ergò rebellionis incidebat, quam tam in animo nunquam habuit.

## §. 2.

Mauritius, Princeps Auriacus, qui Reformatorum doctrinæ causam egit, obtenu Religionis, ad quendam à Politicis ita dictum Dominatum,

com-

commodo privato inhiantem, clam adspirabat. Barnefeldius verò cum Hogerbetio & Grotio strenuus erat Arminianæ Religionis propugnator. Hicùm colliderentur, aut standum erat, aut succumbendum. Mauritius stabat robore militum, cādebat itaque Barnefeldius, qui tamen Mauritio minor esse nolebat, dicens: Consilia sua universo Belgio libertati cessisse, & quod Mauritius gladio, id se stylo procurāsse. Hispani enim, qui Belgium bellō, octoginta annos durante, libertate pri-  
vare tentabant, magis eum, quam Mauritium ipsum timebant; Cude-  
bat tūm ille, quod dicitur, consilia, sed Mauritius, emittendo illa velut tela, exequebatur, qui etiam, ut mi-  
les potentissimus tandem prævaluuit,  
ac effecit, ut Barnefeldius post vin-  
cula capite plecteretur. Cogitabat  
enim: *Noli in vivis esse vulpem, ne lu-  
pum eam experiaris.*

D 2

§. 3.

## §. 3.

Hic Mauritius Hugonem Grotium æq; vehementer ac primum persequebatur, quippe cui conjectu facile erat, quām similis hic Barnefeldii futurus esset. Et si Grotius postea circumveniri potuisset, & Rex Galliæ tutelam illius non suscepisset, auctum sanè de ejus vitâ fuisset. Nulla enim aliâ de causâ cum Barnefeldio & Hogerbetio ad captivitatem est damnatus, quām quod literarum, à Barnefeldio ad exterorū Reges missarum, conscius erat. Magna pollebant hi Viri auctoritate, adeoq; multis Arminianismum persuadebant; At verò literarum ejusmodi Auctores vel Conscii saltem non statim sunt Rebellen, morti adjudicandi; Qua de re etiam Grotius & Hogerbertus multorum virorum intercessionibus vita veniam impetrarunt, sed ita, ut ambo, si non ad perpetuum, diuturnum tamen Carcerem damnarentur; Verùm Grotius singulari dolo

dolo ex carcere evasit; Enim verò ir: rem suam sibi libros quosdam studiorum gratia apportari rogavit. Jus-  
su igitur Magistratus petitis ejus sa-  
tisfactum, & cista libris repleta per  
uxorem illi est allata, cui postea  
remittendæ Grotius se ipsum inclu-  
sum, ex carcere in navim deportari  
curabat, quā salutis suæ porrò prospiciens, transfibat in Galliam; Ejus interim uxor remansit in carcere, quæ tamen à Magistratu postea libertati est restituta; Grotius verò, captivitate elapsus, Apologiam pro se edit, in qua omnia Calvinianorum arcana aperuit; His non obstantibus, Arminii Doctrina in Conciliō Dordrechtanō damnata & utriusque partis acta publici juris facta sunt.

\*\*\* \*\*\* \*\*\*

Arminianismi propriam indolem atq; naturam penitus consideratu-  
ro, distinguendum omnino est in-  
ter priorem & posteriorem. Ille ex

D 3


pri-

primariis Sectæ Dogmatibus & Concilio imprimis Dordraceno venit æstimandus ; At verò hunc , qui valdè lubricus est , magnus Theologorum Heros , Adversariorumq; malleus , Abrahamus Calovius , ex scriptis eorundem publicis accuratè ac fideliter detexit , & succinctè quidem , sed tamen omnium solidissimè confutavit in Consideratione Arminianismi .

## FINIS ARMINIANISMUS.



Ne



Ne sequentes pagellæ re-  
linquantur vacuæ , placuit adjicere  
hasce Elegias, ad tripartitam hanc  
Historiam accommodatas:

**H**eus quid agis rerum ? quid tentas? maxi-  
me Papa!

Sic'cine pascis Oves, Petre tremende! tuas?  
Audin' ? terrarum Te totus judicat Orbis,

Tu verò Judex esse supremus aves;

En, Tibi Scripturæ leges dant undiq; sanctas,  
Et Tu fraudis amans Legifer esse studes.

Peccasti crebrò ; Sanctus tamen audis &  
æqvus,

Ignoscas calamo, Te, rogo, Sancte Pater!  
Ecclesiæ Domini Rector dominaris in Orbe,

Quis Tibi Pontifici talia jura dedit?

Deponis Reges terræ, que's magnus Olympi  
Magni Rex Regni splendida sceptr'a tradit.

Angelici cœtus Socium se dicis amicum,  
Te Sponsum Sponsæ dicis & esse Dei;

Tu Christi & Petri cupis esse Vicarius; Audi,  
Anne doces eadem, quæ sacra Biga docet?

Sic'cine Majorum sequeris Vestigia clara?

Anne doces populum , rostraque sancta  
petis?


Sic ergò perstat : triplici diademate cinctus,  
Est Anti-Christus, quem piaturba fugit.

Heus

Ne

Heus, Lutherane! mihi tranquillam porrige  
dextram,  
Clamitat atq; rogit Calviniana cohors.  
Non est, cur renuas, sis charæ pacis Amator,  
Nam nos non fidei dogmata magna secant.  
At quid ad hæc Alter? negat, imò pernegat  
ista,  
Consensum tollit, foedera nulla facit;  
Sed tamen adjungit: Quos velas corde tenaci,  
Depone errores, Calviniane! graves.  
In fidei Articulis si solvitur Annulus unus,  
Omnes solvuntur, tota catena patet;  
Dic mihi, quod Christus pro cunctis mor-  
tuus, omnes,  
Excepto nullō, quod velit esse suos;  
Dic mihi, quod Corpus Christi sit in omni-  
bus Oris,  
Quodque ORI Pastor porrigit illud Idem,  
Quod ruber & sanctus Christi Cruor ORE bi-  
batur,  
Nil simulans, dicas, Calviniane! mihi;  
Nec non errores, quos oculis atq; recondis,  
Deponas reliquos, tunc mihi frater eris.

Arminiane! tuus mihi paeis displicet ardor,  
Tu cœcō verum nescis amore tuō;  
Ipsos Judæos pro fratribus accipis, ipsis  
Haud Anabaptistis foedera fandæ negas;  
Non



Non equidem miror, genium sectaris amicum,  
Namq; lupum rapidô vix vorat ore lupus;  
At qui Te Sociis finis annumerare Lutheri,  
Cumque ipfis, pariter qui tua Sacra colis,  
Tu mihi permirus, quam tentas, pace vi-  
deris,  
Hæreticis pandens limina sancta malis;  
Desine, Syncretista! sacrum componere  
bellum,  
Desine, namque tuus sudor inanis erit.  
Non prius in Regno Christi Concordia per-  
ficit,  
Quam tandem membris cælica Regna da-  
bit;  
CORPORE, Christe, tuô & de sacro Sangvine  
lis est,  
Deque modô lis est non habituramodum;  
Dequæ aliis multis lis est, Sanctissime Iesu L  
Quæ Te concernunt, & tua Verba simul;  
Hanc litem præsens nec postera dirimet ætas,  
Ergo pie adventu dirime, Christe, tuô.



◎) o (◎)


---

Errata potiora, quæ in Germanica  
editione, ob absentiam Domini Auctoris &  
ultimam limam nondum admissam, hinc inde  
occurrunt, benevolentia Lectoris omni-  
nò sic correxerit.

Pag. 1. l. 9. pro Arme- leg. Armis-  
pag. 8. l. 19. pro Severinus leg. Zepherinus  
Pag. 18. l. 21. pro Unserer leg. Unseren /  
- pro Lutherische leg. Lutherischen.


Pag. 20. l. 2. §. 3. pro Versailles leg.  
Wercell.

pag. 28. l. 22. pro Und leg. Um.  
pag. 32. l. 16. pro 1575. leg. 1557-  
pag. 38. pro son- leg sondern.  
pag. 56. l. 31. pro Unserer leg. Unseren /  
- pro Lutherische leg. Lutherischen.  
pag. 68. l. 21. pro zu leg. in dem  
pag. 74. l. 20. pro Eur- leg. Löwen-  
pag. 78. l. 10. dele hæc verba ac plane  
omitt. in sein Haus / von dannen  
aber weiter.



Errata potiora , quæ hinc inde in  
Gallica Editione irrepseré , sequentimodô  
corrigantur :

In Epist. p. 1. l. 4. p. astenre, alii legunt à cet-  
te heure, p. 4. l. 4. pro hantes leg. hantes.  
p. 3. §. 1. l. 5. pr. leleg. le, p. 5. §. 3. l. 7.  
p. D'andan leg. D'autan; it. lin. 12. pro  
queques leg. quelques. p. 6. §. 1. l. 2. p.  
de leg. des. p. 8. §. 3. l. 5. p. de leg. des  
it. lin. 6. p. de. lég. des; it lin. ultimâ pr.  
Jenuesse leg. Jeunesse. pag. 9. §. 1. l. 13. pro  
faissoient, leg. faisoient. p. 11. lin. 7. pro  
rendire leg. rendre. p. 16. l. 8. pro RE-  
FORMES leg. REFORME'S. p. 19. lin.  
ultimâ pro appellé, lég. appellé. p. 25. l. 9.  
pro le, leg. la. pag. 30. §. 8. l. 6. protont,  
leg. tont. p. 35. §. 2. lin. 13. pro purité  
leg. pureté, pag. 37. l. 7. pro savans leg.  
scavans. pag. 39. l. ult. pro savoient, leg.  
scavoient. pag. 40. §. 4. l. 4. pro savant,  
leg. scavan; it. lin. 11. pro savoir leg.  
scavoir. pag. 41. l. 12. pro florir, leg.  
fleurir. it. §. 5. l. 6. pro àu, leg. au pag.  
42. §. 6. l. 8. pro sengaga, leg. séngagea.  
pag. 43. l. 19. pro valloient, leg. valoient,  
it.



it. lin. ult, pro trouvé, leg. trouve. pag.  
46. l. 15. pro savant, leg. sc̄avant; it. lin.  
17. pro apelle leg. appelle. pag. 47. l. 11.  
pro sauroit leg. sc̄auroit; it. lin. 12. pro  
sait leg. sc̄ait; it. lin. 14. pro Coll, leg. Col.  
pag. 48. §. 1. l. 3. prosavant, leg. sc̄avant.  
pag. 49. l. 2. pro savoir, leg. sc̄avoir. pag.  
50. lin. 3. pro sait, leg. sc̄ait. pag. 51.  
lin. ult. pro appellé leg. appellé.

---

Errara potiora, quæ hinc inde in  
Editione latina forte deprehenduntur, hac  
ratione possunt emendari.

pág. 20. l. 11. pro in leg. ad  
pag. 24. §. 1. l. 8. pro Scotiæ leg. ex Scotia  
pag. 29. lin. 14. post ipsi, pone, pag. 51.  
§. 1. l. 1. pro Cum, leg. Cùm. pag. 60.  
lin. 7. pro studiorum, leg. studiorum.

7.  
n.  
I.  
ro  
pl  
nt.  
ig.  
I.

in  
c

tia  
I.  
O.








F. Reppien,



STORICA

ac relegavit.  
ici obitum,  
ohannes Ca-  
Tutor, Reli-  
natam, recla-  
nini Fratris  
terâ, denuò  
t. Cui stu-  
annes Jaco-  
ngæ Doctor  
ntra Refor-  
; simul ac  
idelbergam  
um publicè  
dolis Refor-  
tinum fu-  
mô Ch-  
no, P-  
de-  
liax  
um Pri-  
Calvini  
æ, Formula  
i mitteban-  
Reformatis  
in-

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH [www.yxymaster.com](http://www.yxymaster.com)



1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16

A B C D E F G H I J K L M N Focus O

infusurabatur, novas, horrendas & blasphemas de ubiquitate Doctrinas in eâ contineri; Et quoniam Censura transmissæ, insciô Concionatore ejus aulicô D. Heilbrunnerô, præsentibus saltem Confiliariis quibusdam Politicis, qui & Theologica haud solidè edocti, insuper Crypto-Calviniani erat, prælegebantur, res, prohdrediit, ut jam jam facta subactata, D. Heilbrunner ostea actus, & e planè ejerat anno

